

ALOE Americana, arboribus innascens; foliis latis, membrana- Tab. 16.  
ceis, ad margines spinosis.

Arborum truncis et grandioribus ramis innascitur hæc planta, multa et fibrosa radice firmata. Folia ejus in orbem disponuntur, sesquipedem vel binos pedes longa, quatuor pollices lata, carinata; sed membranacea, et penitus exsucca, ad margines validis armantur spinis, recta extrorsum tendentibus, cætera lævia, ad extrema fere latitudinem suam conservant, sed tandem recurvantur et in mucronem abeunt. Scapus e medio foliorum affurgit, quatuor vel quinque pedes altus, in summitate spicam principem ferens, inferius vero alias laterales et minores. Flores tribus constant petalis exiguis, e viridi flavescens, et sex staminibus, cum suis apicibus, quorum medium occupat stylus. Hæc autem omnia fere teguntur calice triphylo, firmo et connivente. Embryo flori subest, et fit fructus exiguus tricapsularis.

Florum propter parvitatem et colorem virescentem, exigua est pulchritudo, præcipuum vero plantæ ornamentum sunt speciosa quædam folia, unciam lata et octo circiter longa, coloris coccinei, quæ sub singulis scapi ramis prodeunt, et prætereuntium oculos attrahunt.

Nascitur prope Veram Crucem.

CASSIA Americana tetraphylla (a).

Tab. 17.

Nascitur prope Veram Crucem.

ASTER Americanus, foliis pinnatis et ferratis, floribus auran- Tab. 18.  
tiis (b).

Caules sunt herbacei, sexangulares, et glabri; in quibus folia nascuntur conjugata, composita et glabra; binis plerumque constantia pinnarum paribus, unaque impari extremum claudente; hæc vero ob-

(a) Herbar. Amman. in Museo Petropolit. Vol. II. p. 601. n. 6.

Cassia fruticosa Mill. Dict.

In schedis Houstounianis nulla hujus plantæ adest descriptio.

(b) Aster aurantius Linn.